Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36815
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

quia iuxta egregii predicatoris uocem per dulces sermones et benedicti
ones seducunt corda innocentium. Qui ueste quidem despecti sunt, sed corde
tument. et quasi in hoc mundo cuncta despiciunt. sed tamen ea que mun
di sunt cuncta simul adipisci querunt. Qui indignos se omnibus honoribus
fatentur. sed priuatis uocabulis contenti esse non possunt. quia illud appetunt
unde omnibus digniores esse uideantur. G. Eulogio episcopo alexandrino.
Cvai predicatorum egregius. Sicut uestra sanctitas nouit per sanctam calcido
nensem synodum pontifici sedis apostolice hoc uniuersitatis nomen
oblatum est. sed nullus umquam decessorum meorum hoc tam profano uocabulo
uti consensit. Quia si unus patriarcha uniuersalis dicitur: patriarcharum
nomen ceteris derogatur. Item in ead. Propterea sanctitas uestra in suis epistolis
neminem umquam uniuersalem nominet. ne sibi debitum subtrahat.
cum alteri honorem offert indebitum. Item in ead. Honorem quem pro predican
da ueritate suscepimus. si necessitatis causa exigat. securi pro eadem ueri
tate relinquimus quam tenemus. G. Iohanni episcopo constantinopolitano. in ea.
Eo tempore. Qui indignum te esse fatebaris. ut episcopus dici debuisses.
ad hoc quandoque perductus es. ut despectis fratribus episcopus appetas so
lus uocari. Item in ead. Et quia resecanda uulnera leui prius
manu palpanda sunt. rogo. deprecor. et quanta possum dulce
dine exposco. ut fraternitas uestra cunctis sibi adulantibus atque erro
ris nomen deferentibus contradicat. nec stulto ac superbo uocabulo ap
pellari consentiat. G. Luminoso abbati monasterii sancti Thome ariminensis
Petitione tuam. Castorio coepiscopo nostro nostra preceptione trans *in ea.*
missa. ei successoribusque eius a te monasterioque tuo cuncta lesionis ab
stulimus funditus potestatem. ut nec ultra in muro uersetur grauamine.
nec monasterii res describat. nec publica illi debeat esse processio.
illa uidelicet ei iuris dicione relicta. ut in defuncti abbatis locum
alium quem dignum communis consensus congregationis elegerit. debeat
ordinare. G. Castorio episcopo arimini in ea. Luminosus abbas mona
sterii sanctorum andree et thome. Abbatem uero eidem monasterio non alium
sed quem dignum moribus atque aptum monachice discipline communi consen
su congregatio tota poposcerit. ordinare te uolumus. Missas autem il
lic publicas per episcopum fieri omnino prohibemus. ne in seruorum dei recessibus
popularibus occasio prebeatur ulla conuentibus et simpliciores ex hoc ani
mas plerumque in scandalum trahat. frequentior quoque mulieribus introitus.